



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus I. vtrum Christo conueniat prædestinatum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

est improprium, verum etiam omnino contra mentem Hilarij. Alij coniectant, mendosam esse litteram Hilarij; & ubi legitur, adoptatur, legendum esse, adoratur, Dixerat enim paulo ante, Adfunt Magi; inuolutum pannis adorant: per Magos cunarum sordes adorantur, vagitus per angelorum diuina gaudia honoratur. Et infra: Aliud intelligitur, aliud videtur, infans vagit, laudantes angeli audiuntur, panni sordent, Deus adoratur, ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur, sic enim optime quadrat ratio, ostendit enim, maiestatem Christi non esse imminutam inter vagitus, & c. quandoquidem in ipsis adoratur. Et hæc lectio habetur in editione Parisiensi, anni 1544. Iuxta quam lectionem, illa particula, dum carnis humilitas adoratur, non est casualiter sumenda, dignitas enim Verbi sub carne latens, non ideo amissa non est, quia adoratur, sed ideo adoratur, quia amissa non est: non potest ergo illa particula reddere causam, sed signum, ut sensus sit, dum adoratur, id est, siquidem adoratur. Et solum videri, potest durum in hac lectione, quia illi particula in communi vsu, & latina proprietate non videtur illam significationem habere, est tamen nihilominus probabilis lectio & responsio. Sed non est alia contemnenda, quam habent recentiores codices, eamque esse antiquam & communem, constat ex D. Tho. & Scolasticis. Et potest reddere satis germanum sensum. Docet enim eo loco Hilarius, Verbi maiestatem non fuisse imminutam ob assumptionem nostræ naturæ, idque concludit ex his, quæ in Christi natiuitate acciderunt: nam infantulus in præsepe positus ab angelis prædicatur & laudatur, adoratur à Magis. Vnde concludit, ex humilitate carnis Verbo coniunctæ non fuisse Verbi maiestatem & potentiâ amissam: & hoc est, quod ait, Ita potestatis dignitas non amittitur dum, id est, quando, seu ex eo quod, carnis humilitas adoptatur, id est, assumitur. Hæc ergo verba Hilarij iuxta hanc lectionem, & alia Marij Victorini declarant, quod diximus habere gratiam vniionis respectu humanitatis aliquas proprietates & conditiones, in quibus cum adoptione conuenit, ratione quarum per translationem & metaphoram solet interdum adoptio vocari: præsertim ad significandum, humanitatem, gratiæ esse amantem, & assumptam à Verbo: in qua metaphora in eo sensu sumpta nullus est error, sed nobis cauenda est, tum quia, ut ostendimus, verè & propriè illa non est adoptio, tum etiam quia metaphora illa rarissime est vtitata, & potest esse occasio erroris. Et hoc solum probat testimonium Concilij Francofordi, ibi in contrarium citatum: distinguitur enim assumptio ab adoptione propriè sumpta; de qua hæretici loquebantur, contra quos Concilium illud loquitur, ut in superioribus visum est.

QVÆSTIO XXIV.

De prædestinatione Christi in quatuor articulos diuisa.



Deinde considerandum est de prædestinatione Christi.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, *utrum Christus sit prædestinatus.*

Secundo, *utrum sit prædestinatus secundum quod homo.*

Tertio, *utrum eius prædestinatio sit exemplar nostra prædestinationis.*

Quarto, *utrum sit causa prædestinationis nostra.*

Supponenda sunt hoc loco, quæ de prædestinatione in comuni: p. q. 23. doceri solent, & abstinendo ab alijs opinionibus, certum est prædestinationem vel supponere, vel includere actum intellectus, & voluntatis, supponit enim voluntatem efficacem Dei & dicit rationem mediorum, per quæ voluntas illa implenda est. Vnde quia voluntas est quasi radix totius præ-

destinationis, de illa semper loquimur, & in ea applicabimus doctrinam hanc de prædestinatione Christi.

ARTICVLVS I.

Utrum Christo conueniat prædestinatum esse.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo non conueniat prædestinatum esse. Terminus enim prædestinationis videtur esse adoptio filiorum, secundum illud Ephef. prædestinatus est filius adoptiuus. Sed Christo non conuenit esse filium adoptiuum, ut dictum est. Ergo Christo non conuenit prædestinatum esse.

2. Præterea, in Christo duo est considerare, scilicet naturam humanam & personam. Sed non potest dici, quod Christus sit prædestinatus ratione humanæ naturæ, quia hæc est falsa, humana natura est filius Dei: Similiter etiam non ratione personæ, quia illa persona non habet ex gratia quod sit Filius Dei, sed ex natura, prædestinatio autem est gratia que sunt ex gratia: ut in prima parte dictum est. Ergo Christus non est prædestinatus Filius Dei.

3. Præterea, sicut illud quod est factum non semper iura & illud quod est prædestinatum: eo quod prædestinatio antecessorem quandam importat. Sed quia Christus semper fuit Deus & filius Dei, non propriè dicitur quod homo ille sit factus filius Dei. Ergo pari ratione non debet dici, quod Christus prædestinatus sit filius Dei.

Sed contra est quod Apostolus dicit Romanor. primo, de Christo loquens. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.

Respondetur dicendum, quod sicut patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt, prædestinatio propria accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam dei sunt facienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiâ vniionis à Deo, ut homo esset Deus & Deus esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab æterno non præordinauit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur, quod diuine mentis aliquid de nouo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa vniio naturarum in persona Christi cadat sub æterna dei prædestinatione: & ratione huius Christus dicitur esse prædestinatus.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus ibi loquitur de prædestinatione, qua nos prædestinamur ut simus filij adoptiuus. Sicut autem Christus singulari modo prædestinatus est, ut filius naturalis: ita quodam singulari modo est prædestinatus.

Ad secundum dicendum, quod sicut dicitur in Glossa, ad Rom. x. quidam dixerunt prædestinationem intelligendam esse de natura, non de persona: quia scilicet humana natura facta est hæc gratia, ut vniueretur filio Dei in vniitate personæ. Sed secundum hoc, locutio Apostoli est impropria propter duo. Primo quidem ratione communi. Non enim diuina naturam alicuius prædestinari, sed ipsum suppositum: quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundo ratione speciali: quia esse filium Dei non conuenit humanæ naturæ: est enim hæc falsa, humana natura est filius Dei: nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, id est, prædestinatum est, ut humana natura vniueretur filio Dei in persona. Relinquitur ergo, quod prædestinatio attribuitur personæ Christi: non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in diuina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cum dixisset Apostolus, Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, subiunxit. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus filius Dei in virtute. Quamuis enim sit naturale illi personæ secundum se considerata, quod sit filius Dei in virtute: non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam vniionis.

Ad Rom. 1. Roman. dicit hanc esse literam Apost. Qui predestinatus est filius Dei in virtute, ita quod non designetur aliqua antecessio: & sic nihil habet difficultatis. Alij vero antecessi-
nem, qua designatur in hoc participio, predestinatus, re-
ferunt, non ad id quod est esse filium Dei, sed ad eius ma-
nifestationem: secundum illum consuetum modum loquendi
in Scripturis, quodres dicuntur fieri, quando innotescant, ut
sit sensus, quod Christus predestinatus est manifestari Filius
Dei. Sed sic non proprie predestinatio accipitur: nam aliquis
dicitur proprie predestinari secundum quod dirigitur in fi-
nem beatitudinis: beatitudo autem Christi non dependet ex
nostra cognitione. Et ideo melius dicendum est, quod illa ante-
cessio, quam importat hoc participium predestinatus, non re-
fertur ad personam secundum se ipsam, sed ratione humane
nature: quia scilicet persona illa, etsi ab eterno fuerit Filius
Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura hu-
mana fuerit Filius Dei. Vnde Augustinus dicit in libro de pre-
destinatione Sanctorum. Predestinatus est Iesus, ut qui fu-
turus erat secundum carnem filius David, esset amen in virtu-
te Filii Dei. Et est considerandum, quod licet hoc participium
predestinatus, importet antecessiorem, sicut & hoc partici-
pium factus: aliter tamen & aliter. Nam si pertinet ad ipsam
rem, secundum quod in se est: predestinari autem pertinet ad
aliquem, secundum quod est in apprehensione alicuius prae-
ordinantis. Id autem quod subest alicui forme & nature secun-
dum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel e-
tiam absolute. Et quia absolute non convenit persone Christi,
quod incepit esse Filius Dei, convenit autem ei, secundum
quod intelligitur vel apprehenditur ut in natura humana ex-
sistens (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura
humana existens esset Filius Dei) ideo magis est hac vera, Chri-
stus est predestinatus Filius Dei, quam ista, Christus est factus
Filius Dei.

COMMENTARIUS.

Circa titulum, & ad intelligenda omnia quae dis-
putanda sunt observare oportet, dupliciter ali-
quem posse dici predestinatum. Primum præcise non
explicando terminum, ad quem predestinatus est.
Secundo addendo, & explicando illum terminum,
ut si dicas, Christum esse predestinatum, vel esse
predestinatum ut sit Filius Dei naturalis. Vnde tria
in hac locutione considerari possunt. Primum est,
actus Dei predestinantis. Secundum est res quae præ-
destinata dicitur, quae solet esse obiectum prædesti-
nationis, & res ad quam predestinatur, quae termi-
nus prædestinationis appellatur: & actus quidem
prædestinationis supponit cognitionem obiecti, &
termini prædestinationis, quatenus possibilia sunt;
præcedit autem ea, quatenus futura sunt, quia per ip-
sum actum prædestinationis ad existendum ordi-
nantur. Inter obiectum etiam & terminum (si distin-
cta sint) quidam ordo reperitur, nam obiectum sup-
ponitur termino per modum subiecti, ordinatur
autem ad terminum tanquam ad finem, & tanquam
ad suam perfectionem, aut alio simili modo. In hoc
ergo titulo præsentis articuli, D. Thom. priori mo-
do quæstionem ponit de prædestinatione Chri-
sti præcise, non explicato termino eius. Et eodem
modo illam definit, quamquam obicit in solutione
ad secundum & tertium, non nihil de termino at-
tingat. Et ex his facis intelligi potest litera totius ar-
ticuli, quæ per se clara est. Dere autem ipsa statim
latius disputandum erit.

ARTICULVS II.

*Virum hac sit falsa, Christus secundum quod homo,
est predestinatus esse Filius Dei.*

Ad secundum sic proceditur videtur quod hac sit
falsa, Christus, secundum quod homo, est præ-
destinatus esse Filius Dei. Er. Suarez. Tom. 1.

Adestinatus esse Filius Dei. Hoc enim est unusquisque secun-
dum aliquod tempus, quod est predestinatus esse, eo quod præ-
destinatio Dei non fallitur. Si ergo Christus, secundum quod
homo, est predestinatus esse Filius Dei, videtur sequi quod sit
Filius Dei secundum quod homo. Hoc autem est falsum: ergo
& primum.

2. Præterea illud quod convenit Christo secundum quod
homo, convenit cuilibet homini, eo quod ipse est unus spe-
ciei cum alijs hominibus. Si ergo Christus, secundum quod
homo, predestinatus esse Filius Dei, sequeretur, quod cui-
libet homini hoc conveniat. Hoc autem est falsum, ergo &
primum.

3. Præterea, Hoc ab eterno predestinatur, quod est ali-
quando sciendum in tempore. Sed magis hac est vera, Fili-
us Dei factus est homo, quam ista: Homo factus est Filius Dei:
ut supra habitum est. * Ergo magis hac est vera, Christus
secundum quod est Filius Dei, predestinatus est esse homo,
quam & converso, Christus, secundum quod est homo, est præ-
destinatus esse Filius Dei.

Sed contra est, quod August. dicit in libr. de prædestinat.
Sanct. ipsum Dominum glorie, in quantum homo factus est
Dei Filius, prædestinatum esse dicimus.

b Respondeo dicendum, quod in prædestinatione duo
posunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius præ-
destinationis æternæ, & secundum hoc importat antecessio-
nem quandam respectu eius quod sub prædestinatione cadit.
Alio modo potest considerari secundum effectum temporalem:
qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum
est ergo, quod secundum utrumque istorum attribuitur præ-
destinatio Christo, ratione solius humane nature. Nam
humana natura non semper fuit Verbo unita: & etiam
hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona unire-
tur. Et ideo solum ratione humane nature prædestinatio
competit Christo: vnde August. dicit in libr. de præd. Sanct.
prædestinata est ista humana natura tanta & tam celsa, &
summa subiectio, ut quo attolleretur altius, non haberet.
Hoc autem dicimus convenire alicui, secundum quod homo,
quod ei convenit ratione humane nature. Et ideo dicendum
est, quod Christus secundum quod homo, est predestinatus esse
Filius Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Christus
secundum quod homo, est predestinatus esse Filius Dei, hac
determinatio, secundum quod homo, potest referri ad actum
significatum per participium dupliciter. Vno modo ex par-
te eius quod materialiter cadit sub prædestinatione: & hoc
modo est falsa. Est enim sensus, quod prædestinatum sit, ut
Christus secundum quod homo, sit Filius Dei: & in hoc sen-
su procedit obiectio. Alio modo potest referri ad ipsam pro-
priam rationem actus: prout scilicet prædestinatio impor-
tat in sui ratione antecessiorem, & effectum gratuitum.
Et hoc modo convenit Christo ratione humane nature: ut
dictum est. * Et secundum hoc dicitur prædestinatus, se-
cundum quod homo.

Ad secundum dicendum, quod aliquis potest conveni-
re alicui homini ratione humane nature dupliciter. Vno
modo sic, quod humana natura sit causa illius sicut esse ri-
sibile convenit Soriti ratione humane nature, ex cuius
principij causatur. Et hoc modo prædestinari non conve-
nit nec Christo nec alteri homini ratione humane nature, &
in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo dicitur convenire
aliquid alicui ratione humane nature, cuius humana na-
tura est susceptiva, & sic dicimus Christum esse prædes-
tinatum ratione humane nature: quia prædestinatio refer-
tur ad exaltationem humane nature in ipso, ut dictum
est.

Ad tertium dicendum, quod sicut August. dicit in libro
de prædest. * Sanct. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a
Deo Verbo susceptio singularis: ut Filius Dei & hominis
simul, & filius hominis propter susceptum hominem, &
Rrr 2 Filius